



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXII. Quales operationes intellectus & voluntatis sint processiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

tantum duas. At hæc ratio certè solum probat, esse tantum duas in specie; hoc est nullam esse, quæ non sit intellectio, aut volitio: sed quare non sint plures numero diuersæ, ita, vt quælibet persona producat aliam; cum habeat intellectum, & voluntatem communem cum alijs, videndum est infra quæst. 41. art. d.

6. *Ad primam Durand.* Iam vero ad argumenta Durandi nullo negotio respondetur; ad prius dico, intelligere & velle posse bifariam considerari, vt sequenti disputatione explicabitur. Primum absolute, & in se, hoc est sine relatione productionis ad terminum productum: deinde addita illi relatione productionis: priori modo sunt actus essentialis, & communes tribus personis; posteriori modo non sunt communes, sed notionalis dicuntur, hoc est propter aliquid, vel aliquarum personarum.

Ad posterius respondeo primum, non quamlibet naturam creatam esse fecundam proximè substantiam suam ad producendum aliam; sed solum corporalem; nam spiritualis, vt Angelus, non est ita fecunda, ob id tamen non est imperfectior. Dico autem corpoream creaturam esse hoc modo fecundam, non quia sit potens generare sine potentia accidentaria sibi addita, hoc enim in cõtrouerfia apud Philosophos est; sed quia aut absolute intellectu & voluntate producit, aut saltem ipsa intellectu & voluntate producit, ut principio proximo non producat aliam substantiam, sed intellectum & voluntatem solum comitante. Hunc ergo modum fecunditatis concedere Deo, imperfectioris esset, cum spiritualibus creaturis ob illarum perfectionem non conueniat: at super est igitur vt fecunditas illi insit ea parte perfectiori, quæ spiritualis creaturæ corporeas excedunt, intellectu nimirum & voluntate, & hæc parte Deus spiritualis creaturas superet, quia ex parte creaturæ infecunda sunt. Et quamuis in Deo voluntas, & intellectus nullo modo suparet naturam, sed sola nostra consideratione ab essentia distinguantur: nihilominus ita Deo tribuimus productionem, vt ea formaliter verè sit intellectio & volitio, licet ab essentia non distinguatur, & facultas producentis sit intellectus & voluntas, quæ nostro modo tantum ab essentia differunt. De ipsa vero potentia generandi, & spirandi copiosius differemus disputatione 164.

DISPUTATIO CXII.

Quales operationes intellectus, & voluntatis sint processionis.

Quid sentiat Henricus, cap. 1.

Opinio Scoti, & aliorum, cap. 2.

Vera sententia, cap. 3.

Respondetur argumentis Scoti, cap. 4.

CAPVT I.

Quid sentiat Henricus.

Henricus quodlib. illo 6. quæst. 1. cum fateatur procedere verbum per operationem intellectus, & spiritum per operationem voluntatis, docet non qualibet operatione, sed quadam peculiari procedere, in cuius rei explicationem notat, in nobis duplicem esse actum intellectus

& voluntatis. Nam intellectus partim est patiens, partim agens: Patiens dicitur comparatus cum simplici notitia, quæ est quasi in determinata, & confusa; agens vero respectu discursus, ad quem simplici illa notitia informatus redditur potens, vt integram & perfectam rei definitionem, & notitiam allequatur. Quando autem discursus, habet quidem cognitionem, quæ est verbum; adhuc tamen informe, quia nondum rei naturam, & definitionem plenè exprescit: Peracto vero discursu & inuenta perfecta rei definitione, est iam perfectum & plenum verbum. Quam doctrinam sumpsit ex August. 15. de Trinit. cap. 15. Deinde in voluntate distinguit ille duplicem operationem, alteram in actu, respectu cuius voluntas dicitur se habere passiuè, sed metaphorice; quia à bono ipso allecta quodammodo moueri dicitur, & hunc amorem simplicem appellat; quæ quidem operatio respondet priori operationi intellectus; alteram operationem voluntatis dicit esse amorem feruentem, quo fertur voluntas in rem amatam, & in ea quiescit, quem appellat Henricus zelum, aut incendium voluntatis; & hic amor respondet posteriori operationi intellectus.

Eadem ferè proportionem in Deo distinguit duplicem notitiam; quandam vocat essentialem, quæ respondet simplici notitiam, quam primum de rebus habemus, non quia in Deo sit imperfecta, sicut est in nobis: sed quia notitia essentialis in Deo est tantum simplex quædam manifestatio: verbum autem in Deo habet rationem manifestantis, & declarantis id, quod notitia essentialis iam manifestum est; sicut in nobis posterior illa notitia est manifestatio prioris, & idè exprimit verbum. Hac igitur posterior notitia, quæ est veluti expressio, & manifestatio prioris, inquit Henricus, in Deo produci verbum.

Eodem modo quænis amor essentialis in Deo non sit imperfectus, sicut in nobis est prior ille amor, habet tamen solum rationis simplicis amoris, & respondet priori, qui in nobis est; amor autem, quo procedit Spiritus sanctus, est veluti posterior ille noster amor feruens, & mouens in rem dilectam. Concludit demum ex his, verbum in diuinis procedere per actum intellectus notionalis, qui est dicere, non per actum essentialis, qui est intelligere, & Spiritum sanctum per amorem illum feruentem, qui est actus notionalis, non essentialis.

Hanc Henrici sententiam multis refellit Scotus locis citatis superiori disputatione; mihi autem ob has tres rationes præsertim non placet. Prima ratio, non minus intellectus noster & voluntas in priori actu exercent opera vite ab interno principio, quam in posteriori: ergo non minus in priori actu se mouent, & aliquid vi sua in se ipsis producant, quam in posteriori; hoc solum erit discrimen, quod in priori actu pro sua imperfectione imperfectior qualitas producit, in posteriori: cumque in Deo non minus perfectæ sunt operationes essentialis, quam notionalis, ex hac parte nõ repugnabit, per illas procedere personas aliquas.

Secunda ratio, non minus distincta, & perspicua est notitia Dei essentialis, quam notionalis, nec minus feruens, & tendens in rem amatam amor essentialis, quam notionalis; ergo ratio Henrici

August.

Explicit cognitio qua procedit verbum.

Amor quo procedit Spiritus sanctus.

Hæc sententia tribus rationibus impugnatur cum Scoto. Prima.

4.

Henricus.

rici non obstat, quo minus per actus essentialis personæ procedant, sicut per notionales. Tertia ratio, Henricus videtur asserere, actus notionales oriri ex essentialibus, tanquam ex principiis, sicut in nobis posterior actus oritur ex priori, ut ex principio, quia ex vno in alium mouemur; at hoc est absurdum, ut bene notauit Scotus quæstione illa 7. citata, quia in patre principium, quo generat verbum est memoria fecunda in actu primo ad intelligendum, sicut tradit Augustinus 15. de Trinitate, cap. 7. ergo intellectio essentialis non est principium producendi verbum. Adde, quod, ut infra ostendimus, actus essentialis in notionali includitur frustra, ergo assignatur, ut principium illius.

CAPVT II.

Opinio Scoti, & aliorum.

Scotus.

Durand.

5.
Per actum
dicendo pro-
ducit filium
notum Scoti.

Spiritus
vero per a-
ctum spi-
randi.
Alexand.

Gabr.

Primū fun-
damentum
huius opi-
nionis.
Secundum.

6.

Impugna-
tur ratio
à Caiet. &
Canariensi.

Scotus in 1. distinct. 2. quæst. illa 7. §. Obijciens contra, circa finem, & alijs locis superiori disputatione allegatis, duos in Deo comminiscitur actus intellectus, ut faciat argumentum, quo adductus est postea Durand. ut assereret, filium non procedere per actum intellectus: quia scilicet actus intellectus sunt essentialis, & communes. Inquit igitur Scotus alterum actum esse intelligere, & hunc esse essentialis; alterum esse dicere, & hunc esse notionalis, per priorem asserit non produci verbum, per posteriorem vero produci, & illud esse in solo patre. Eadem proportionem de actu voluntatis Philosophari debet, ne eodem argumento prematur; imò idem expressè dixit quodlibet. 14. §. Hic intelligendum est, parum à principio; nempe alterum esse actum amoris, & ipsum esse essentialis communem tribus; alterum vero esse actum spirandi, & hunc esse notionalis, & proprium patris & filij: id tamen ipse alibi non docet. In eadem sententia videtur fuisse Alexand. p. quæst. 42. m. 2. cum affirmat, generare, & intelligere non esse idem omnino secundum rationem, cum tamen si prorsus idem generare & dicere. Reddit rationem quia intelligere essentialiter sumptum, idem est, quod manifestare, & idem conuenit tribus personis, at vero generare & dicere solum conuenit patri. Neque huic opinioni dissentit Gabr. in 1. d. 7. q. 2. citata.

Fundamenta huius sententia duo sunt, vnum est: quia si intelligere & dicere non differrent, cuiusque vnum conueniret, alterum tribueretur; cum ergo tribus personis conueniat intelligere tribus etiam conueniret dicere. hoc est producere verbum, quod tamen est absurdum. Alterum est, quia intellectio, quatenus intellectio, cum sit propter se, non est productio termini, sed dictio est productio termini, nempe verbi: ergo dictio non est intellectio.

Hanc Scoti sententiam merito reijciunt Caietan. in hoc artic. & Canariensis Episcopus in articulum primum huius quæstionis S. Thomæ discipulum putat. 4. prima parte illius hac ratione. Eo ipso, quod intellectus dicit aliquid, vel simplex, vel complexum in enunciatione, loquitur; loqui autem spiritualiter est intelligere quoddam eius, quod dicitur & profertur. Nam nemo loquitur, aut dicit, nisi id, quod cognoscit & intelligit; nec solum dictio intellectualis supponit intellectionem eius

quod dicitur, ut contingit in dictione vocis corporeæ; verum etiam ipsa est intellectio quædam; alioqui si dictio in patre non esset formaliter intellectio, sed eam supponeret, ut priorem communem tribus & omnibus essentialis, & ea pater diceretur intelligere seipsum in verbo suo, non magis hoc verum esset de Patre, quam de Filio & Spiritu sancto; itaque tres personæ dicerentur in verbo intelligere: solus autem pater illud producere. Nam si pater non intelligit in verbo formaliter ipsamet verbi productione, sed essentiali noticia, & nihilominus verbum ita res parit repræsentat, ut pater eas videat in illo essentiali intellectione, cur non eas velut spelucum repræsentabit Spiritui sancto, ut ille quoque dicatur in ipso eas contemplari? At hoc nullus Theologorum concedet; ergo nec distingui potest in Deo, ut Scotus distinguit, intelligere & dicere.

Porro nullam rationem esse in sententia Scoti, cur verbum potius repræsentet creaturas patris, quam Spiritui sancto, pater: nam si aliqui, ea præsertim esset, quia solum pater verbum producit, atque hæc ratio nihil valet, si ipsa dictio, qua pater producit verbum, non est formaliter intellectio, sed pater in verbo intelligere dicitur alio actu, qui est intellectio, ab ipsa dictione diuerso, ut satis liquet.

Denique si dictio, qua procedit verbum, formaliter non esset intellectio, verbum non diceretur nata, aut genita sapientia: eodem namque modo diceretur Spiritus sanctus sapientia saltem procedens; quia est Deus procedens, & Deus est sapientia; sit ergo, ut filius dicatur nata sapientia, qua actu sapientia, & intellectionis procedit, quo pacto filium appellat Athanasius in oratione contra Gregales Sabellij, & Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 14. & 6. lib. cap. 1. & 2. & alibi in penumero: quod nisi esset verum, non diceretur filius procedere de memoria patris, quod est contra doctrinam Augusti. lib. 15. de Trinitate cap. 7. & Anselmi in monolog. cap. 47. Adde, quod idem Augustinus 2. Dixerunt apud se cogitantes, & Matth. 9. Dixerunt intra se, hic blasphemant, quibus Christus respondit, Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Et Lucas, ubi idem haec tenus, colligit, ipsum, dicere mentes nostras, esse, cogitare, sic enim ait Augustus. Quia est enim dixerunt intra se, nisi cogitando, & infra, quod ergo cogitationes locutiones sunt carnis, & quibusdam interpositis, necesse est enim cum verbum loquimur, sit est, quod scimus, loquimur, ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascitur verbum, quod eiusmodi sit, cuius est illa scientia, de qua nascitur, nomine memorie. Illa scientia intelligit, quam Philosophi vocant actum primo; non enim putat Augustus verbum nasci de scientia in actu secundo, unde statim subdit, Formata quippe cogitatio ab eare, quam scimus verbum est, quod in corde dicimus, quod nec Gratianus est, nec Latine, quod in corde dicimus, quod nec conceptum rei, nec verbum. Intelligit profecto conceptum rei, non verbum ipsum cogitatum: nam vox etiam intrinsecus cogitatur, aut Latina, aut Græca est, aut alterius linguae. Idem habet lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 14. & Fulgent. lib. 3. ad Monimum cap. 7. ita scilicet, Sed sic est verbum apud Deum, sicut est in mente vestra, sicut in corde consilium. Cum enim mens apud se verbum habet, & tunc cogitando habet, quia nihil aliud est, quod se dicere, quam apud se cogitare. Et Anselmus monolog.

logio cap. 34. sic ait: *Quoniam autem idem est summo Spiritui scire, quod intelligere, siue dicere, necesse est, quod eodem modo fiat omnia, quæ sit quo ea dicit, aut intelligit.* Quæ sane testimonia clarissima nostram confirmant sententiam, vt illa replicare non sit necesse, Fateor Aug. 15. de Trinit. cap. 15. per cogitationem, qua asserit verbum produci, non intelligere quamlibet intellectiōe, sed eam, quæ est cum inquisitione quadam, vt disp. 142. cap. 3. dicemus.

CAPVT III.

Vera sententia.

Multo facilius & verior est sententia Caiet. in hunc articulum, quam secutus est Canar. in eodem ar. disputatione vnica 3. par. qui docet actum dicendi, quo Deus producit verbum, formaliter esse intellectiōem: & actum spirandi formaliter esse amorem, seu dilectionem: vt hac ratione sit verum, patrem in verbo suo videre & intelligere se ipsum, & alia: atque Patrem & Filium in Spiritu sancto se ipsos amare: & alia. Cum enim ipsamet intellectiōe pater producat, & exprimat verbum, recte in eo vt in termino producto, ipse & nulla alia persona dicitur intelligere. Sed vt rem hanc magis dilucidemus, & argumētis Scoti satisfaciamus obseruandum est, intelligere ita esse de ratione dictiōis, & diligere de ratione spirationis: vt aliqua sit differentia rationis inter illa: nam si idem esset omnino, cuiusque conueniret intelligere, conueniret etiam dicere, quare communis esset dictio tribus personis (quod est absurdum) quia illis omnibus conuenit intelligere.

Differunt itaque nostro modo intelligendi intelligere, & dicere; diligere, & spirare, non sicut duæ rationes particulares, quo pacto dicimus attributa diuina differre inter se, sed sicut includēs & includum, excedēs, & excludum, sicut homo differt ab animali. Nam animal in suo cōceptu non includit hominem, vel rationem particularem illius, sed homo includit animal, & aliquid peculiare nostro modo intelligēdi. Et sicut in diuinis persona differt ab essentia, quia illam includit, & addit modum peculiarem, quo contrahitur essentia, vt sit persona. Ergo sicut diuina persona formaliter est Deus, & sine deitate nequit intelligi, sic productio verbi, seu dictio est, quare in Deo recte distinguere possumus duos actus essentialēs, & duos naturales, ita tamen, vt essentialēs actus in naturalibus includantur, ac proinde non sint quatuor actus omnino diuersi. Ideoq; opinio eorum Thomistarum, qui dicunt intelligere aliud esse essentialē, aliud notionale, & proprium personæ patris, si recte intelligatur, vera est, nempe si intelligere essentialē in notionale includatur, nec omnino ab eo sit diuersum, vt explicabimus, quā obrem Canariensis loco citato non deberet horum sententiam absolute impugnare.

Sequitur, vt paucis dicamus, quid sit illud peculiare, quod habet intellectiō, aut dilectio notionalem. Dico igitur illud solum esse relationē productionis, nā præter ordinē, quem habet actio essentialis ad obiectū cognitum, aut amatū, notionalis, quæ est productio, habet aliū respectum ad terminū productū, simul enim versatur circa ob-

Vazquez in 1. partem Tom. II.

iectum producendo terminū, & producit terminum intelligēdo obiectum, aut amando illud, vt in solutione secundi argumenti clarius patebit.

Consonat autem huic doctrinæ sanctus Thomas art. 5. quæstionis cum ait processiones accipiendas esse in diuinis secundum duas actiones immanentes intelligere scilicet & velle. Respondent nonnulli, quibus Scoti opinio probatur, S. Th. data opera non dixisse duas processiones in diuinis esse duas illas immanentes, intelligere scilicet & velle, sic enim probaret id, quod contēdimus, sed processiones in diuinis accipiendas esse secundum actiones illius immanentes, non alia quidem ratione, nisi quia illas supponunt. Verum hæc interpretatio extorta satis videtur, nam si processiones formaliter non includerēt ipsas actiones immanentes, sed eas solum supponerent, non sequeretur iuxta numerum actionum illarum immanentium esse sumendum numerum emanationum, contra vero recte colligitur duas tantum emanationes esse, quia ipsa emanatio debet esse actio immanens, & duæ tantum sunt actiones immanentes. Adde quod S. Thom. cum ex numero actionum infert numerum emanationum asserit in corpore articuli, & in solutione ad tertium alteram esse verbi, alteram amoris, at emanatio amoris non potest esse per aliam operationem, quam per dilectionem, ergo sicut spiratio Spiritus sancti est per dilectionem, sic processio verbi per intellectiōem.

CAPVT IV.

Respondetur argumentis Scoti.

Ex his quæ superiori capite notata sunt, facile dilui possunt duo illa argumenta Scoti allata 2. cap. disputationis. Ad prius dicendum est, ideo non esse commune tribus personis producere verbum, aut Spiritum sanctum, quamuis omnibus conueniat intelligere, & amare, quia nec quauis intellectiōe in Deo producit verbum, nec quauis dilectione Spiritus sanctus, sed ea solum, quæ simul habet rationem, & respectum productionis, hæc autem non est in tribus personis, sed intellectiō huiusmodi est in solo patre, qui solus dicit & generat, & spiratio in patre, & filio tantum, qui solum spirant. Atque hinc magis explicata manet solutio primi argumenti Durandi, quam præcedenti disputatione cap. ult. posuimus, & quam sequenti etiam solutione dilucidabimus.

Ad posterius argumentum respondetur, quāuis intellectiō, vt intellectiō est, nō sit productio alicuius, sed ea tantum versetur circa obiectum, per modū actionis, quam vocant gramaticalem, hoc est, quæ nō respicit rem productam, sed cognitam, aut dilectā, nihilominus aliqua intellectiō ita versatur circa obiecta, aut cognita aut amata, vt producat etiā, non quidem omnia cognita, aut amata, sed aliquem terminum, quem simul respicit, vt productum, & vt obiectum, hoc est, quem ita producit, vt eodem actu, aut intelligat, aut diligat, huiusmodi sunt actus notionales in Deo. Nā essentialēs actiones immanentes in Deo sunt solum per modum actionis grammaticalis quæ circa rem intellectam, aut dilectam versatur, & idcirco per actus essentialēs intellectiōis, aut dilectionis nihil in Deo producit. Habent autem hoc

C

pecu.

Faust S. Thom.

117

12.

Solutio Prioris.

13.

Quo differant in Deo essentialēs actiones immanentes ab eisdem notionalibus.

Quænam processio in diuinis sit generatio.

Definitio generationis, cap. 1.

Verbum diuinum vere esse genitum & Filium; sed spiritum sanctum non item fides Catholica docet. c. 2.

Cur spiritus sancti processio non sit generatio, rationes varias, cap. 3.

Rationes Bonaventurae, Durandi, Scoti, Agidij de calenre, cap. 4.

Ratio Caietani, Ferrarii, & aliorum Thomistarum, cap. 5. Refellitur ratio præcedens, cap. 6.

Vera ratio, cur verbi processio sit generatio, non item processio spiritus sancti, cap. 7.

Diluntur argumenta contra hanc posteriorem rationem, cap. 8.

CAPVT I.

Definitio generationis.

VT inter diuinas processiones, quas hactenus assignauimus, discernere possimus, quæ sit generatio, prius explicanda nobis est vera generationis definitio. Præmittimus autem bñariam sumi posse generationem, vno modo generatim, altero speciatim: generatim est quæuis mutatio substantialis materię, ex vna forma in aliam, quæ tam viuientibus, quam inanimatis rebus conuenit: speciatim vero est, quæ solum in viuientibus reperitur: hæc autem sic definitur consuevit. *Origo viuientis à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ, quam de finitionem tradit S. Th. in articulo 2. huius questionis & 4. contrag. cap. 1. sed singulas partes explicemus.* Prima est, *viuientis à viuente*, quæ distinguitur à generatione in viuendum, quæ in non viuientibus reperitur. Secunda est, *à principio coniuncto*, hoc est decisa aliqua parte naturæ, seu substantiæ, quæ fiat generatio, vt semine. Tertia est, *in similitudinem naturæ*; hæc veropertem varie explicant doctores. Quidam intelligunt genitum debere procedere in eadem natura substantiæ, vt vere genitum, & filius dicatur. Alij per similitudinem intelligunt imaginem, vt infra cap. 7. explicabimus. Ex hac definitione colligit S. Th. pilos & capillos non generari, necesse filios: quia licet procedant viuentes, & à viuente: non tamen procedunt in similitudinem naturæ: verumtamen tam vngues quam capillos non viuere, verius est. Quod si viderent, alia quidē ratione non dicerentur geniti, nec filij, quia scilicet essent partes eiusdem viuientis, ideoque non procederent sicut viuens à viuente à principio coniuncto, scilicet semine deciso: sed per extensionem quandā eius substantiæ, & naturæ producerentur. Nec enim dissimiles essent in natura substantiæ, cū eadem forma animalis viuerent, tamen in organo & instrumentis vitæ differrent, quandoquidem non sentirent, sicut ossa. Fieri namque potest, vt eadē anima rationalis tribuat alicui parti generis substantiæ viuientis, sentientis, & rationalis: non tamen operationes sentiendi, & intelligendi, hoc est non tribuat instrumenta ad sentiendum, & ad intelligendum, vt videmus in ossibus. Neque enim dici potest ossa alia anima viuere, quam rationali, cum sint partes integrantes hominis & a homine non sit nisi vna anima, & forma substantiæ, Neque vero anima rationalis tribuere possit

peculiare actus notionales diuini, vt simul & producant terminum, & producendo, ipsum intelligent, aut diligant, quod nulli intellectiōi, aut dilectioni creatæ conuenit. Nam in humano intellectu, & voluntate longe diuerso modo res se habet: licet enim intellectus noster vi sua aliquid in se producat, speciem scilicet expressam rei intellectæ, quam communiter verbum appellamus ipsa tamen productio, aut fieri speciei expressæ non est intellectiō, nec illam ego dictionem appellarem: potius in nobis intellectiō est ipsamet qualitas speciei expressæ, quæ est actualis & viuæ rei repræsentatio: atque intelligere formaliter nihil aliud est, quam illa specie expressa informari intellectu, quæ etiam terri dicitur intellectus in rem repræsentatam per modum actionis, quam vocant grammaticalem. Similiter species expressa est dictiō ipsa: intelligere enim, & dicere rem, aut intellectu enunciare idem videntur esse. Potest etiam dici verbum, non quia ipsum dicatur ab intellectu, sed quia rem, quam intelligimus, eo dicimus: nam & verbum vocis est, quo res significata dicitur: nisi quod interdum verbum pro re dicta, nonnunquam pro ipsa dictione usurpatur, de qua re fufius tractabimus disp. 141. c. 4.

Cur species expressa sit dictiō, & verbum.

Quo differt productiō verbi creati & increati.

14. Fundamentum huius diuersitatis

Modus quo philosophamur de intellectiōe diuina, nisi mysterium Trinitatis esset reuelatum. Canar.

Quocirca non potest plena similitudo deduci ex nostro intellectu, vt intelligamus æterni verbi productionem: hæc enim peculiare illud habet, vt simul sit productio verbi, & intellectiō eius, quod producit, nostra vero intellectiō est verbum ipsum, lquo formaliter intelligimus, & dicimus rem, ipsum vero nullo modo intelligitur, nisi cognitione aliqua super illud reflexa. Cogimur autem diuerso modo de verbo Dei & de nostro philosophari, quia cum pater intelligat in verbo suo omnia, quæ cognoscit intellectiōe notionalis, intellectiō notionalis non potest esse ipsum verbum, alioquin iam pater esset sapiens sapientia genita, veluti forma, quod est falsum, vt disp. 151. c. 6. ostendimus. Vt ergo in se ipso sit sapiens, & intelligens etiam intellectiōe notionali, ponimus in patre intellectiōem actiuam notionalē, & hæc dicimus esse generationem actiuam, quia vero nos sumus sapientes qualitate nobis inherente, & verbum nostrum nobis inheret, ideo ipsum verbum expressum virtute nostri intellectus dicimus esse ipsam cognitionem, quæ sumus sapientes, absque vilo absurdo. Quomodo vero illa qualitas sit intellectiō, ex parte diximus disp. 38. c. 2. sed de hoc iterum disputat. 141. cap. 3. quare operæ pretium existimaui, hic nihil agere de nostri verbi productione, de qua late disputat Canar. sed ea disputatione nunc supersedere, tum quia huic non est omnino similis productiō verbi diuini, tum etiam quia quamuis concedamus in nobis produci verbum, non ideo probatur in Deo etiam produci, licet Deo concedamus veram intellectiōem, nisi enim fides doceret contrarium, posset quis, sicut antequam mysterium Trinitatis reuelaretur, concedere in Deo intellectiōem, sed eam esse ipsamet essentiam Dei, non autem productionem alicuius verbi.